

tio, adstringit. Talia esse ea ferè, quibus sapor aut acris, aut nitrosus, aut falsus inest, lenticulam, conchulas marinas, ostreas. Idem de gallis veteribus pronunciat, quorum ius ventrè soluat, caro adstringat: idem, de æris squama, de aloë. Extremo capite, fieri, inquit, potest, vt in vnam substantiam conueniant, vel maximæ contrariæ tum qualitates, tum facultates: quippè, cùm suprà ostendimus, in succis aliud esse, quod grauissimum est, aliud quod leuissimū, aliud tertium toti succo permixtum: & subiicit, succi Rosacei exemplū, cui insint quatuor succorū discrimina, proprium videlicet ipsius succi, & tria excrementa: quorum indicium diuersæ edant qualitates, cùm præter adstrictionem, dulcedinem etiā, amaritudinē, & quasi quandam mordicationem præ se ferant. Imò verò, inquit, ex eo, quod non extremè adstringit Rosa, aliorum saporum misturam intelligimus: quandoquidem contrariorum pugna, qualitatum summitates imminuit. Quando etiam cap. seq. ait: Vnamquamq; similarium medicamentorum partem, non multas, sed vnam

*Succi Rosacei quatuor differentia.*

*Cap. 16.*